



R. P. Thomæ Tamburini È Societate Jesu Opera Omnia

Tamburini, Tommaso

Lugduni, 1689

2. Illud. Devotè visitaverint.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-78172](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-78172)

cies unum cum tota multitudine, quæ tota dicitur moraliter præfens illi Altari, sicuti etiam præfens *ibidem* diceretur, ad satisfaciendum præcepto de assuetudine sacri die festivo.

17. Quod fratre, seu Altaria in prospectu tuo non sint, non sufficit inde orare (quicquid dicat esse probabile quod scilicet sufficiat, Galleg. loc. cit. dub. 77.) quia tunc non esset Altaribus moraliter præfens, ita Trull. l. c.

18. Quod certe idem esset, si vacua Ecclesia tu visitares Altaria, quæ non videas, quia v.g. sint in Capellis intro sita, quare tunc non sufficeret ea, modo dicto, visitare, quia iis non es moraliter præfens, ut non sufficeret ad assistendum sacro pro obligatione præcepti. Lege l. 3. nost. Dec. c. 2. §. 1. a. n. 11.

Imò idem dicendum est, si vacua magna Ecclesia, v. g. S. Petri Romæ, tu orares ad Altare, quod sit in tuo prospectu, sed notabiliter longe distanti. Quis enim tunc diceret hominem in janua dictæ vacuæ Ecclesiæ consistentem esse Altari maximo moraliter præfentem?

Non ita si est plena Fidelium orantium, quia, tunc omnes faciunt unum moraliter, ut dictum est.

§. II. Devote visitaverint.

1. Devote inquit, quare licet in aliis dispositionibus, ubi non ponitur hæc vox (Devote) visitatio Altaris venialiter peccaminosa, v. g. cum vana gloria, vel ex vana gloria sufficeret ad ponendam visitationem requisitam in illis dispositionibus, de quo tamen est controversia inter doctores, quæ lege apud Bellar. l. 1. de ind. t. 3. §. 2. potest tamen in casu nostro, saltem longe tutius, debet esse, sine ullo peccato visitare, visitare enim Altare cum inani gloria, vel cum immodestia, vel confabulando, vel ad finem aliquem, quamvis venialiter non bonum, devote certe visitare non est.

2. Præterea, quia Pontifex dicit, *Sumentes Bullam visitaverint*, ideo hæc visitatio non potest exhiberi per alium, est enim opus injunctum personæ.

3. Et duo quidem debet præstare Fidelis in hac visitatione. Primo, habere intentionem saltem virtutalem visitandi: ob finem à Pontifice requisitum. Secundo debet orare pro rebus ab eodem præceptis atque præscriptis, n. mpe pro Unione & Victoria prædictis, sufficere autem si orat pro intentione Pontificis, mihi certum est, id enim jam est orare pro prædictis, Satis item esse orationem mentalem, diximus in simili supra c. §. licet addam (ut advertit Gall. l. c. d. 81.) tutius esse si addatur aliqua vocalis oratio.

4. Si brevis, seu exigua sit oratio, te diminutam, & orationi proportionatam indulgentiam lucrari, putat idem Gall. c. 7. d. 61. in simili citatque pro se Nisium. Profecto tutius erit, notabilem orationem fundere, ad minus quinque Pater, & Ave, verum qui recitaret tantummodo unum Pater, & Ave, non condemnare, quia jam ponit quod Pontifex præscribit, puta visitationem Altaris cum precibus. E ita tenet Cast. de Bull. p. 5. n. 3. docens sufficere Orationem minimam.

§. III. An pluries possint hæc Indulgentia stationum acquiri, repetendo visitationes, & preces.

1. Possit, sustinet Trull. §. 7. cit. d. d. 3. n. 2. & probabile putat Gal. c. d. 8. citans S. Ant. Palud. Cord. Nav. quia quando Pontifex absolute & sine restrictione indulgentiam concedit facienti opus aliquod, potest ea toties acquiri, quoties opus illud repetitur. Accedit privilegium indulgentiæ, cum non sit in ullius præjudicium ample esse interpretandum.

2. Sed profecto ipsa Fidelium praxis, qua semel sumpta indulgentia uni diei addita, non solent eodem die iterum eandem sumere, ostendit, intentionem Pontificis, non esse, ejusmodi iteratam acquisitionem concedere. Non ita, si Indulgentia ad dicta tempore nequaquam sit, quales sunt indulgentiæ affixæ sacris numismatibus, tunc

Par. III.

enim ipsi iidem Fideles pluries opera injuncta repetunt, quo pluries illas indulgentias acquirant, ut in simili habent S. Thomas, in add. ad 3. p. q. 25. a. 1. ad 4. & Ludovic. à Cruce d. 1. de bull. c. 8. d. 1. §. n. 10. cum aliis. Ratio autem disparitatis est illa, quia quando addita uni tempore est indulgentia, pro una vice, in eo tempore concessa videtur, at quando nulli tempore est addita, non videtur determinata ad vicem unam.

3. Confirmatur, quia hic non acquiruntur nisi indulgentiæ Stationum Romæ, quæ sunt, durante uno tantum die Ecclesiastico, idest à primis Vesperis usque ad Occasum diei sequentis. At certe determinatio temporis, tam brevis ostendit (ut ex Suatio notat Castrop. de Bull. v. 5. n. 11.) intentionem Pontificis esse, ut singulis diebus una vice acquirantur, sive de die, sive de nocte exhibeatur visitatio, altero nimirum dante locum alteri ex multis illuc confluentibus.

§. IV. An hæc Indulgentia Stationum applicari valeant pro defunctis.

1. Possit hæc Stationum Indulgentias applicari pro fidelibus defunctis ex vi bullæ, nimis est certum, quia id nimis manifeste conceditur in tenore Bullæ dummodo ipsi iidem fideles Stationes dictas visitent ex intentione pro defunctis.

2. Hoc autem non intelligitur, quasi tu, qui Bullam sumis stationes seu Ecclesias, vel Altaria visitas, concedas ipse indulgentias defuncto, quia Fidelis homo potest quidem suum bonum opus alteri concedere, quoad satisfactionem, & impetrationem, nullo tamen modo indulgentias; si quidem indulgentia est applicatio Theauri Ecclesiæ, cujus distributio uni Summo Pontifici convenit, sed intelligitur ipse Summus Pontifex (posita, tanquam conditione, tua voluntate, cum operibus requisitis) concedere defuncto indulgentiam.

3. Atque hinc sequitur, licet dum quis est in statu peccati mortalis nihil possit satisfacere, vel impetrare pro aliis, sicuti non potest pro se, quia est Dei inimicus valde tamen probabiliter potest per Indulgentiarum satisfactionem defunctis prodere. Et Cast. de bull. p. 12. quidem vocat communem sententiam, fructuose applicari indulgentiam defunctis ab eo, qui est in statu peccati mortalis; ut etiam satisfactionem Missæ. Ratio autem ducitur ex prædictis, quia nimirum homo dumtaxat ponit condiciones requisitas à Pontifice, & à Christo Domino, at Pontifex, & Christus Dominus est deinde, qui impetit defuncto indulgentiarum & sacrificii fructum. Lege D. T. l. 4. sent. dist. 20. artic. 5. §. 3. seu in add. ad 3. p. q. 27. art. 3.

4. Atque etiam inde fit, ut nisi Pontifex dicat, se indulgentiam ita Fidelibus concedere, ut possit ea applicari pro defunctis, non poterunt Fideles applicare, quia cum ille, qui vere dat defuncto indulgentiam, sit ipse Pontifex, si is non dicat, concessam indulgentiam posse pro defunctis applicari, nihil, quoad eam conducet sola Fidelium applicatio.

CLAVSVLA.

Item quo omnes, & singuli prædicti purius ad Deum preces effundere, & efficacius divinum auxilium implorare possint conceditur, ut possint eligere quemcumque Presbyterum secularem, vel regularem ex approbatis ab ordinario, & ab eo quoruncunque peccatorum, etiam censurarum, etiam Sedi Apostolica & in Bulla Cane Domini reservatorum, & reservatarum plenariam indulgentiam & remissionem semel in vita, & semel in articulo mortis. Aliorum vero Sedi Apostolica non reservatarum aut reservatarum toties, quoties confitebuntur, Absolutionem & remissionem, mediante salutari penitentia, secundum culpam indulgentiam obtinere: dummodo ubi necessaria erit, per ipsos, vel, dato impedimento per Heredes, aut alios satisfactio fiat.

Q 9 3 Not